Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 173
Quelle:
Copyright:

uetere uel in nouo teſtamento legis et euangelii — —.

Illud occaſione praeſtantis hujus Codicis addam: non illico cum Autoribus *Hiſt. Liter. Franc.* in Vita *Rabani* T. V. p. 195. condemnandam videri inſcriptionem illam *Commentariorum Rabani* in Exemplo *Collegii Novi Oxonienſ.* quae habet: *In Geneſin commentarios edidit ipſe per ſe, quæ ſequuntur expoſitiones in 4. libros Moyſis proficiſcuntur a Strabo ejus diſcipulo, qui magiſtri ſui dicta fideliter annotavit.* Fieri enim poteſt, ut *Codex* ille eadem contineat, quae nos hic recenſuimus. Vide *Cavei Script. Eccl. Hiſt. Lit. Vol. II. Baſil.* 1745. p. 37. f.

Praeterea fronti illius Sec. XIV. ſequentes Notae Temporum adſcriptae ſunt:

Anno domini MC. ordo ciſterſienſium cepit. Ciſtercium aedificatum a. 1098.

Anno domini MCCVI. ordo fratrum minorum eſſe cepit.

Anno d. MCCXVI. ordo predicatorum eſſe cepit.

Anno d. MCLXI. Marchionatus Auſtrie mutatus eſt in ducatum. Eodemque anno ducatus bobeime mutatus eſt in Regnum. Utrumque paullo citius.

Anno d. MCXLIII. Richardus rex anglie a duce Leupoldo Auſtrie captus eſt. Pro 1193.

Anno d. MCCXI. Sancta Chungundis transfertur.

Anno d. MCCXV. Innocencius papa concilium Rome celebrauit. Lateranenſe IV.

Anno d. MCCLXXIII. Gregorius papa decimus concilium Lugdunio celebrauit. Potius 1274.

Anno d. MCCXXX. Leupoldus dux Auſtrie obiit. Glorioſus.

Anno d. MCCXXXI. Ludwicus dux occiditur. Primus hujus nominis Bavariae.

Anno d. MCCXXXVI. Sancta Elizabeth eſt translata. Nempe Thuringica. *Et Henricus rex exilio relegatur.* Filius ſcilicet Friderici II. Imp. Alii an. 1235. adſignant.

Anno d. MCCXLI. eclipſis facta eſt, et tartari poloniam uaſtauerunt. Duce Batukhan. Alii anno 1240.

Anno d. MCCLI. Chunradus rex eſt anguſtiatus Ratispone. De conſpiratione hac vide Chronicon Auguſt. ad h. a. in Struvii Corp. Hiſt. Germ. T. I. p. 481.

Anno d. MCCXLVI. Fridricus dux Auſtrie eſt occiſus. Bellicoſus, in praelio cum Hungaris.

Anno d. MCCLX. flagellatores ſurrexerunt. Peruſiae ſcilicet, duce, ut fertur, Rainerio Eremicola. *et rex bohemie vngaros devicit.* Ottocarus II. Belam IV. Stiriam occupare volentem.

Anno d. MCCLII. Otacharus factus dux Auſtrie. Contra Fridericum Badenſem.

Anno d. MLXXXV. beatus Cholomannus Auſtrie paſſus eſt dominante Hinrico Margrauio in Mar-